



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 51. ad 75

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1762**

**VD18 15558428-001**

Psalmus LIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)



quia hi homines pleni sunt timore humano, seu mundano, & totum studium eorum est hominibus placere. Apostolus autem è contrario dicit : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.*

ψ. 8. Et ultimus cum ultimo ψ. Psalm. 13. idem est, nisi quod ibi dicatur Deus *avertere*, hìc *convertere* captivitatem ; sed sensus idem est. Deus avertit captivitatem, cùm eam tollit, quod fit, cùm captivis liberatis, captivitas esse desinit. Deus convertit captivitatem, dum captivos reducit in patriam. Demum cùm dicitur averti captivitas, sumitur captivitas pro formâ, h. e. pro ipsâ verâ captivitate : cùm dicitur converti captivitas, hæc sumitur pro personis, quæ erant captivæ.

### PSALMUS LIII.

**T**itulus : *In finem in carminibus intellectus David, cùm venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul, nonne David absconditus est apud nos ?*

*Ex titulo colligitur Argumentum. Scribitur L. 1. Reg. C. 23. Ziphæos proditores fuisse Davidis, qui apud eos, tanquam apud amicos manens, declinabat persecutionem Saulis. Ipsi enim Sauli patefecerunt, Davidem apud se latere : Unde factum est, ut Saul cum maxi-*



mo exercitu ad eos accederet, & quasi in modum corone totum locum cingeret, ut David pene de vitâ desperaret. Occasione igitur tam propè imminentis periculi, David ad Deum per orationem confugit, & hunc Psalmum, Deo inspirante, composuit. Illud in titulo, intellectus David, significat, hanc fuisse sanctam prudentiam Davidis, ut intelligeret, in tam magno periculo ad Deum esse recurrendum, & in illo sperandum. In quâ oratione intellexit etiam, inspirante Domino, se de omni periculo liberandum.

ψ. 1. *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.*

Orat Deum, ut, quando defecerant omnia humana remedia, ipse per se ad juvandum accederet. Deus in nomine, seu potestate tuâ, cui omnia cedunt, salva me: & in potentia, seu robore tuo sis iudex meus, & pro meritis retribue mihi defensionem, & adversario meo ultionem. Docemur, ne in evidentissimo mortis periculo desperandum esse de auxilio Dei, qui ubique est, & ad se confugientes non despicit.

ψ. 2. *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.*

Orat, ut Deus ad potentiam, quam jam confessus erat, addat voluntatem. *Deus exaudi*



*audi &c.* Scio, te omnia posse, sed oro, ut velis; ideo peto, ut exaudias orationem meam, quâ te rogavi, ut potestate tuâ saluum me faceres. *Auribus &c.* Ne avertas aures tuas, nec spernas orationem meam.

¶ 3. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quaesierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

Explicat pericula, à quibus liberari desiderat. Ziphæi, qui proximi videbantur, sed corde alieni erant à me, irritarunt Saulem ad me persequendum: Saul cum exercitu suo quaesivit me occidere; & neque hic, neque illi timorem Dei ante oculos habuerunt: nam Ziphæi gratiam Regis legi Dei, & Saul cupiditatem retinendi in propriâ familiâ Regnum anteposuit justitiæ.

¶ 4. *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.*

Illud *ecce* significat repentinam illustrationem, quâ David tam certò prævidit auxilium Dei, ut tanquam de re præsentis dicat: ecce video Deum me adjuvantem, & suscipientem quasi in sinu suo custodiendam vitam meam, quam illi quaerunt eripere. Saul eodem tempore ex nuntio intellexit, Philistæos regionem suam invasisse; & sic coactus est à persequendo

do



do Davide recedere. In *ψ.* Enim videtur poni pro *autem*.

*ψ. 5. Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.*

Per imprecationem intellige prædictionem, ut sæpe dictum : avertes , disperdes &c. Et verò paulò post periit in montibus Gelboe Saul cum exercitu. *In veritate* , h. e. justitiâ , quâ reddis cuique juxta opera sua.

*ψ. 6. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine , quoniam bonum est.*

David pro liberatione suâ, saltem prævisâ , ait se promptissimo animo oblaturum sacrificium laudis : Et *Confitebor &c.* idem dicit. *Nomen Dei* pro ipso Deo ponitur , & sic res est omnium optima.

*ψ. 7. Quoniam ex omni tribulatione eripisti me , & super inimicos meos despexit oculus meus.*

Ostendit ex effectu, Deum esse bonum, quoniam tam citò exaudivit servum suum. Quoniam revelans mihi meam certam liberationem, jam in spe ex omni tribulatione liberaisti me: & in eâdem prænotione jam oculus meus vidit inimicos meos prostratos, & consumptos. Illud, *despexit* , non significat contemptum, sed, ut patet ex hebræo, simplicem visionem. Hunc Psalmum Ecclesia quotidie recitat ad

Pri-



Primam, ut discamus exemplo Davidis, contra omnes persecutores, armis orationis ad initium diei communiri.

PSALMUS LIV.

**T**itulus : *In finem, in carminibus intellectus David.*

*In titulo nihil est, quod non sit aliàs explicatum.*

*Argumentum esse volunt S.S. Hilar. & Hieron. de passione Christi; S.S. Euthym. & Theodoret. de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis; S. August. de homine justo in tribulatione posito, sive de Corpore Christi, quod est Ecclesia. Quae expositiones omnes admitti possunt.*

ψ. 1. *Exaudi Deus Orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.*

Incipit quasi captando benevolentiam Judicis, ac petit, ut benignè, & attentè audire velit. *Exaudi &c.* Et ne fortè oratio, vel persona orantis displiceat, subdit : *Ne despexeris humilem, & simplicem precem meam; benignè me respicè, & benignam aurem mihi porrige.*

ψ. 2. *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.*

Expo-